

Offic. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-22.

SIGNAT. 1515CCCCXIII.

12.93.

Syllabus.

1. Hoffmanni, de Partō, s. foedere cum primo homine.
2. — . De melioribus N. T. promissionibus, Ebr. 11.8.6-13.
3. — . Vindiciae Annotationum irenicarum ē Hottm.
4. — . Vindiciae Annotationum frencarum.
5. — . De melioribus N. T. promissionibus, Ebr. 11.8.6-13.
6. — . dito Primae sectionis Dogmatico-Philosophico.
7. — . De Sacramentis in Generis, contra Pontificios.
8. — . Continuatio ej. argumenti.
9. — . de Mediatore Christo, contra Pontificios.
10. — . de Scriptura S. contra Pontificios.
11. — . de Eucharistia, contra eosdem.
12. — . de Imagine Dei, contra eosdem.
13. — . de Peccato Originali, contra eosdem.
14. — . de Imagine Dei, ex Hartmanni System. ch. F. o.
15. — . de Ecclesia, contra eosdem.
16. — . de Ecclesia ē eosdem.
17. — . de Ecclesia, contra eosdem.
18. — . Annotationes Frencae ad Hottmigenum.
19. Hottmigeri Disput. Frencica de veritatis et caritatis unione
in Ecclesia Protestantium.
20. — . de momento Disputationis in loco de Praedestinato
21. Trichtfelds Historia Hamelmanni.

L.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**MELIORIBUS N. T.
PROMISSIONIBUS**

ex Hebr. IX, 6 - 13.

*Cujus Primas Sectionis Dogmatico-Elenchitiae
Theses*

JUVANTE D E O,

P R Æ S I D E

GODOFREDO HOFFMANNO,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. Ducalis

Stipendij Theol. Superattendente & Pastore

Ecclesiae Tübingensis,

Domino Patrono, Præcept. & Promotore suorum Studiorum
Cultu pientiori & humiliori jugiter prosequendo,

Defenderet


M. JOHANN-WILHELMUS VENNINGER, Stutg.

SS. Theol. Stud. & Ser. Stip.

Ad D. *Semptembr. MDCC XVII.*

H. L. Q. C.

T U B I N G Æ,
Typis JOHANNIS CONRADI REISII.



SECTIO DOGMATICO - ELENCHTICA.

Postquam justam verborum Apostoli Hebr. VIII.
§ - 13. Exegesin nuper dedimus, Dogmata
hunc ex eodem Textu deducemus, & contra
Adversarios breviter vindicabimus. Sit ergo

Thesis I.

Placuit Divinæ Sapientiæ & Bonitati
agere cum Hominibus per Fœdera.

Horum enim expressa sit mentio in nostro non solum Tex-
tu, sed & alibi in Scriptura passim: Ubi in Hebreo
וְיַהֲרֹן, in Græco autem Διαθήκην (quæ utraque in lo-
co præsentis, illa apud Jeremiam, hæc apud Paulum oc-
currit) nihil aliud denotat, quam Fœdus, sive Pactum inter Deum
& hominem initum; & quidem Fœdus, uti in superioribus diximus,
Gratia, prout illud Oeconomia parim Legali, partim Evangelicæ
substat. Quamvis enim, strictè loquendo, Fœdus inter Deum &
hominem intercedere non possit eo modo & sensu, quo alias duæ
pluresve personæ vel simpliciter, vel in certo saltim ordine æquales,
de certis bonis & officiis mutuo præstandis, & quæ in sua potestate
habent, communis utilitatis ergo paciscuntur, cum conditiones
istæ locum hic minimè habeant; Deutamen per singularem quan-
dam συγκαλέσαν dominum suum, quod in Creaturas præsertim
rationales habet, bonitate sua ac φιλαρθρόπιλα ita temperavit, ut
Fœdus cum homine initet, quod mutua partium fœderatarum obli-
gatione, hinc Promissione à parte Dei, inde Conditionis stipulatio-
ne à parte hominis constaret, hocque sensu Διπλεύσεο & mutuum

audiret, remotis tamen istis omnibus imperfectionibus, quæ in Fœderibus humanis deprehenduntur, & verò in Deum neutiquam cadunt. Ita in Statu integro Deus Creator Fœdus operum, cum Adamo totaque ejus Posteritate sancivit, eique sub conditione perfectæ obedientiæ, qualem ex viribus Naturæ in Creatione acceptis, accedente insuper adiutorio sine quo non, de quo Augustinus passim loquitur, præstare facilè poterat, felicitatem non terrenam solum, sed cœlestem & æternam pollicitus est, ita, ut promissio Legi annexa: *Qui fecerit hæc, vivet in iis*, Lev. XVIII. 5. Deut. 27. 26. Matth. 19. 17. Gal. 3. 12. in statu illo primævo effectum suum ac complementum re ipsa sortiti potuisset, si modò primus homo viribus à Deo collatis rectè ati, & in Integritate concreata persistere voluisse. Tamenis enim Moses Gen. II. 17. comminationis saltem diuina expressam mentionem fecerit, eo ipso tamen promissionem quoque vitæ, morti oppositæ, adeoque æternæ, implicitè subiunxit, fœcūs ac Remonstrantes censem, & in primis Episcopius *Instit.* Theol. I. 2. c. 1. qui Fœdus Deo cum Adamo intercessisse negat, quod Ayrald s quidem, Theologus olim Salmuriensis admittit, sed promissionem felicitatis tantum temporalis in Paradiso peragenda adjunctionem habuisse perperam statuit. vid. *Disp. Salmar.* P. I. p. 214. Rupto autem Fœdere illo primo, Deus pro sua erga hominem lapsum misericordia aliud à priori longè diversum cum Genere humano, interveniente Mediatore Filio suo, init, quod Gratia appellatur, à Gratia non Gratiosa solum, quæ & in priori illo locum habuit, sed mere Gratuita, qua operibus nostris ac propriis meritis è diametro oppunitur Rom. XI. 6. Eph. II. 8. 9. & in solo Christi merito ac Satisfactione pro nobis præstata fundatur; Cujus naturam luculenter exposuit Magnificus Dn. Cancellarius noster in Tract. de Fœdere Gratia ejusque Oeconomia, qui præ omnibus aliis in hac materia legi mereatur. Quod ipsum Fœdus nemo quidem nostrorum Theologorum negat, neque negare potest, cum ejus expressa in infinitis SS. locis fiat mentio, & in eo tota salutis nostræ Oeconomia fundetur, interim tamen in descriptione ejus multum variant. Sunt enim, qui Fœdus illud in simplicissima eaque absoluta promissione, solenni constitutione firmatâ, consistere ajunt, sine reprobatione, adeoque stipulationem & restipulationem, qualis omnino ad naturam Fœderis propriè sic dicti alias requiritur, in Fœdere hoc divino obtinere negant,

aut

aut saltem sententiam istam quamvis in se probam, variis difficultatibus ac incommodis premi, inque periculofsum ab adversariis abusum facile trahi posse censem; ita ut satius sit ab isto loquendi modo abstinerere. Ita Seb. Schmidius in Sect. I. allegatus, in Tract. de Circumcis. p. 51. negat, re-promissionem haberit in foedere illo, cuius Jer. 31, 31. mentio fit, neque hoc solùm, sed ne quidem in toto nostro Christianismo re-promissionem promissione iusti divinæ respondentem admittit. Et Querit, quid est namque re-promissio in foedere? nonne est, quâ vicissim alter foedus ineuntium ad aliquid præstandum aut omittendum se obstringit, ut sub hac demum conditione prius promittens obligatus sit maneatque, ruptâ verò, jure solvatur? Atqui ego, respondet, in nostra salutis negotio talem nullam agnosco. Nam si quis agnoscat, concedere is cogetur, quod Deus homini semel Foederi Dei inserto, sed non stanti promissis, non amplius obligetur vi sua promissionis ad dandam fidem, filialitatem, hereditatem. Atque hac ratione lapsus non proderit penitentia, qua promissis primis, iisdemque perpetuis nititur. A que ita in perniciössimam Novati heresin prolabemur. Et in Collegio Bibl. P. II. p. 316. sibi non valde placere ait, quando Interpretes quidam vocem ἀπερώνυμα, quæ occurrit 1. Petr. 3. 21. reddunt per mortuam stipulationem sive obligationem, ne ea adverfarij abutantur, & aliquam salutis conditionem saltem sine qua non, in nostra rest stipulatione occulent, ersi Nostrares id in optimum sensum accipient & interpretentur. Pariter Gravissimum hunc Theologum secutus Dn. D Försch in Breviariorum Sel. Etorum Theolog. mentem suam de Doctrina Foederum ita exponit, ut dicat: non omne Foedus stipulationem & restipulationem requirere, cum scriptura nobis sistat γῆρας sine stipulatione & restipulatione Juridica, qui Termini, si proprie accipientur, huic argumento Theologico plane non convenient. Est enim, ait, stipulatio verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumque se, quod interrogatus est, responderet, inventumque est illud subsidium hum. vita in eum finem, ne homines ex nudis pronunciationibus incauti vinculo obligationis illaquearentur, sed ut per interrogationem excitaretur animus ad deliberationem quandam, num si promittendum, & per responcionem declararetur talis delibero certo consensu, efficaxque adeo vinculum obligationis emerget. Jam verò, pergit, per Beruh sive foedus ἔγγαφος Deus non potest

ita stipulari sibi obedientiam hominis, ut per hanc stipulationem homo demùm obstringatur Deo obedire, nullo extante priore fundamento: nec DEUS ita potest homini adstringere suam promissionem, ut quicquid inde præstat, aut dat, vel facit, non maneat beneficium; cum ex adverso, quod ex promissione in stipulatione & re-stipulatione præstatur, nos ut Beneficium, sed ut debitum vi obligatoriorum verborum præstetur. *Et in segg.* Neque vel Deo decorum est, ut hominem querat, an obsequi præceptis suis velit? qui per ipsam creationem & adeò initium existendi suum ad exquisitissimam obedientiam obstricetus est, neque dein aliter, quam imperio vel beneficii ipsum obligat: vel homini peccatori & pœnis eternis obnoxio, ut querat, num Deus sibi propitius esse velit: possibile de Jure, cùm sit reus damnationis, & præterea per peccatum Originale ita Spiritualibus tenebris obvolutus, ut de propitiatione per Christum non cogite, nec velit nec possit. Denique *subiungit*, facillimam esse viam deflextendi ad errores gravissimos à conceptu horum terminorum proprio in foro civili, Majestatem divinam deprimentes & hominem ad superbiam incitantes, nisi cura adhibeatur & ad analogiam fidei intensissimè respiciatur. Quemadmodum verò in eod. hoc *Traſt. p. 15. seq.* ad argumenta P. Poireti, Fædus operum Dei cum Adamo pro hum. cerebri figmento habentis, solide respondet, & cumprimis illud punctum luculenter exponit, quo sensu homo ad Dei communionem mercedis instar velut ex debito & Jure adspicere dici queat; nimur, si hoc intelligatur non de debito & Jure rigorosè tali, sed per condescensum aliquem div. sic dicto, ubi Deus se gerit instar Debitoris inter homines, in effectum Fiducia erga se, & certitudinis Gratia, respuens interim omnem imperfectionem naturæ suæ perfectissimæ & Majestati refragantem. c&c. Ita facilè exinde colligi potest, terminos hos in materia de Fæderibus aliis usitatos recte quidem adhiberi ab illis, qui imperfectiones istas à Deo removent, & præterea erroribus istis, quorum mentio est facta, sollicitè viam præcludant; quod & circa alios à negotiis hum. desumtos terminos, eorumque ad res divinas applicationem fieri oportet. Dum enim ipse Deus pro immenso suo erga hominem amore per *ovynal&baorū* plinè admirandam seipsum quasi stipulantem, & hominem quasi restipulantem, introducat in verbo suo, prout loquitur Vir doctissimus l. c. Quid obstat, quò minus & nos de ipso ita loqua-

loquamur, & in Fœdere Gratiae, per Christum Mediatorem nobiscum
 initio stipulationem & restipulationem locum habere dicamus, non quidem
 per omnia similem illi, qua in Fœderibus hum. præsertim inter æ-
 quales datur, huic tamen aliquo modo, præsertim quoad effectum Fi-
 ducia & certitudinis Gratiae Div. analogam, ita quidem, ut licet non
 detur adspiratio ad communionem Dei in vita æterna, tanquam ex
 debito & Jure dandum bonum; tamen per ipsam Dei concessionem
 ex mera charitate & misericordia promittendo, fœdera, pacta fa-
 ciendo cum Creaturis, uti S. S. passim docet. Ubi verò sermo est
 de Pacto inter Deum Patrem & Filium, quod in Fœdere Gratiae tan-
 quam prior ejus pars, gradus aut fundamentum includitur, ne
 ista quidem cautione opus est, cùm sine ulla imperfectione stipula-
 tio & restipulatio de his dici queat. Quo modo & ante natam me-
 thodum Fœderalem B. Brentius in Psalmio II. Dialogum inter De-
 um Patrem & Filium haberi observavit, in quo v. 7. Filius Patri
 obedientiam promittit; v. 8. autem Deus Pater Filio pro obedientia
 tanquam præmium promittit regnum omnium Gentium. Cum
 enim, ait, Filius Dei receperit in vers. preced. se obsecutum præ-
 cepto DEI Patris sui, & suscepturnum Officium prædicandi Evange-
 lii & Redempti Generis hum. teneri non potest Pater, quin vicis-
 sim compenseret ei hanc obedientiam. Sicut ergo quondam, cùm
 Abraham suscepserit, ad obsequendum Vocationi DEI, Filium su-
 um mactandum, Deus tanta obedientia eleboratus exclamat: per
 memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, benedicentur in semine
 tuo omnes Gentes: Ita & in h. l. postquam audit tam promptam Fi-
 lii sui obedientiam, continuò effudit in ipsum beneficia sua plenis
 manibus & promittit ei hæreditatem omnium gentium. Tom. III.
 Opp. 202. sq. Ipsum verò Pactum, quod Deus in Christo cum
 Genere hum. iniit, quod attinet, cùm in Scriptura habeatur Res
 ipsa, nimirum ex altera quidem parte, præscriptio Officii & pro-
 missio præmii, ex altera verò ὁμολογία καὶ επερώτησις Ebr. X. 23. i. Petr.
 3. 21. Dubium nobis amplius non est, quin illi conformiter Scriptura
 loquantur, qui Fœdus mutuum & διπλευρον, constans stipulatione, &
 restipulatione in hac materia admittunt. Cujus rei vestigia etiam apud
 Veteres scriptores passim occurunt. Et sane non alia magis ratio-
 ne communio ista inter DEum & homines gratiosa stabili potuit,
 quam per viam Fœderis, in quo mutuum datur partium ad se invicem
 accessus

accessus, atque ac familiaris quedam consociatio, πλῆσος τῆς χριστοῦ, divitiae ac thesaurus Gratiae div. quam maxime elucescit, omnique admiratione ac deprecatione dignus nobis ob oculos sicutur.

Thesis II.

Unum idemque Fœdus Gratiae duabus substitutis Oeconomis, quatum quidem altera Legalis, altera Evangelica, & illa quidem durior in V. hæc verò suavior in N. T. obtinet.

ET hoc ipsum est, quod Scriptura in Textu nostro innuit, quando Fœderis antiqui, cum Istaelitis contracti, aliquando antiquandi: & novi, cum Ecclesia post adventum Messiae contrahendi mentionem facit, quod in Textu nostro fieri liquet. Dico Primo, Fœdus Gratiae, si in se & sua substantia, præcisè ad modum dispensandi consideretur, unum idemque esse ac fuisse semper; id quo præter ea, quæ de hoc puncto in Sæc. Exegit, diximus, probatur ex eo, quia Bona illa, quæ Jer. 31. & Ebr. 8. Novo Fœderi attribuuntur, maximam partem ita sunt comparata, ut fideles quoque V. T. eorundem quoad rem ipsam participes fuisse, ex Scriptura abundè constet. Quotquot enim horum verbum promissionis de futuro Messia vera fide amplexi fuerunt, atque in viis Domini juxta normam voluntatis div. ambularent, eos legem div. cordibus suis Dei dacto inscriptam habuisse negari nequit, cum ipse Spiritus S. de quolibet iusto & pio homine id affirmet Ps. 37. 31. בְּלֹא תִּרְאֶה & El. 51. 7. ubi Cœtus piorum appellatur סֵם בְּלֹא כָּלָב. Cujus rei exemplum nobis præb. est illustre, David in Psal. CXIX. qui lectorum dubitate non sinit, quin Vir ille secundum voluntatem Domini Legem Dei, quam misericordia in hoc Psalmo laudibus extollit, cordi suo & visceribus quasi intimis inscriptam habuerit. Promissio autem, que habetur in Textu nostro, ubi de novo Fœdere sermo est, Ero ipso in DEum, & illi mihi erunt in populum, in N. T. quidam renovata, & quasi illustrior facta, sed & jam olim in V. T. non una ac simplici vice proposita, sed sibi iterata & confirmata fuit, prout videre est Gen. XVII. 7. 8. Exod. XX. 2. XXIX. 45. Deut. V. 2. 3. 6. Jer. XXIV. 7. XXX. 22. Ez. XI. 20. Zach. XIII. 9. Quenadmodum

duum

dum ergo nemo dicet, promissionem hanc Fœderalem testingen-
 dam esse ad futurum seculum, sed quod Apoc. XXI, 3, ad gloriam quoq;
 cœlestis Hierosolymæ, ratione ultimi sui complementi, refertur. Iu-
 pariter ad tempora N. T. illa ipsa restringi non debet, et si solenniore
 quamduam ratione, & illustriore modo in hoc fuerit renovata, & in aëtri-
 li Filii Dei incarnatione, ut supra dictum p. 38. fundata, addo, &
 illustrata a Christo in discursu cum Sadduceis habito, Matth. XXII,
 in quo luculenter ostendit, quanta sit vis & efficacia hujus promis-
 sionis Fœderalis Patriarchis factæ. Denique & remissionem pec-
 catorum, de qua tecum noster agit, jam in V. Test. obtinuisse quo-
 ad rei ipsam, præter alia quamplurima Sacra Scriptura loca,
 ad oculum patet ex Exod. XXXIV. 7. Ps. XXXII. 1. coll. Rom. IV.
 6. - 8. Ps. LI. 3. 4. LXV. 4. LXXXV. 3. CIII. 3. CXXX. 4. Es. XLIII.
 25. XLIV. 22. Mich. VII. 18. seq. de quo deinceps plura nobis dicen-
 da erunt. Præterea identitas Fœderis Gratiae in utroque Testamento
 elucescit quoque ex unitate Mediatoris, qui solus est Christus 1. Tim.
 II. 5. idem heri, hodie & in secula. Hebr. XIII. 8. præter cujus no-
 men nullum aliud hominibus unquam datum est ad salutem Act.
 IV. 12. & per cujus Gratiam credimus nos salvari καὶ ὁ Ιησοῦς καὶ
 τοῖς, eodem modo, scil. per solam fidem, quemadmodum & illi,
 Parres nimis sub iugo legali gementes, salvati sunt Act. XV. 10.
 seq. Non igitur contundi debent hæc duo, Fœdus Gratiae per ad-
 ventum Messiae in carnem, & solennem Evangelii per totum terra-
 rum orbem predicationem renovatum & illustrius factum esse, quod
 in Textu nostro dicitur; Et, illud planè de novo conditum esse, cum
 antea nullo modo fuerit, quod ob rationes jam dictas de Fœdere
 Gratiae dici nequit. Et quamvis promissiones N. Fœderis dicantur
 in loco nostro præstantiores, id tamen juxta ea, quæ in Exegesi dicta
 sunt, p. 10. identitatē Fœderis quoad substantiam non tollit, cum
 præstantiora promissa quoad rem dari non possint, quam quæ Abra-
 hamo aliisque V. T. fidelibus facta sunt, sed tantum in modo rei
 & circumstantiis. Denique si vel maximè Moses dicatur Mediator
 V. T. pro qua sententia quamplurimos ex nostris in fine Sect. I.
 allegavimus, id tamen officio Christi Mediatorio nil derogat, quod
 minus illud jam in V. T. obtinuerit, quia id de Mediatore Typico
 & mero inter Deum & populum Israëliticum Internuncio intelli-
 gi debet. Turpiter adeoque errant Sociniani, quando Patribus in
 V. T. promissionem Remissionis peccatorum, Spiritus S. & vita æ-
 terna

ternæ factam esse negant, eoque ipsi identitatem Fœderis Gratiae
 in utroque Testam. tollunt, & Patres quidem istius ætatis salvatos esse
 dicunt, sed non per fidem specialem in Christum, verum per fidem
 generalem Deo & promissis ejus habitam; Contra expressa Concili
 Apostolici verba, quorum hic genuinus est sensus: Salus æternæ obti
 neri nequit per Circumcisioñ & opera Legis, cùm nequidem Pa
 tres in V. T. tametsi circumcisí & sub lege constituti per hanc sal
 vati, quin potius experti fuerint, jugum Legis $\alpha\beta\delta\sigma\alpha\lambda\sigma$ esse, sed
 credimus, nos sive Judæos sive Gentiles per Gratiam Domini nostri
 J. Christi i. e. per ipsius meritum fide apprehensum, servari $\kappa\alpha\theta^2 \dot{\eta}$
 $\lambda\pi\pi\tau\sigma$ $\nu\alpha\kappa\pi\pi\sigma\sigma$, eodem planè modo, eadem ratione ac via quâ & il
 li ipsi Patres, de quibus in immediate præcedentibus verbis dictum,
 salvi facti sunt. Quæstio enim erat de Gentilibus ad Christum con
 versis, an Circumcisio & observatio Legis Mosaicæ iis ad consequen
 ðam salutem sit necessaria? Et responsum, unam esse salutis viam
 in utroque Testamento, & quemadmodum Patres olim salvati fu
 rint, non per legem, sed per fidem in futurum Messiam, ita & nos in N.
 T. sive Judæos sive Gentiles non alia via, quam per fidem in Chri
 stum jam exhibitum salvos fieri posse. Quodsi vel maximè altera
 Interpretatio admitti posset, qua dicitur per $\kappa\alpha\kappa\pi\pi\sigma\sigma$ non Patres, sed
 ipsos Gentiles designari, ut sensus sit: credimus nos Judæos talva
 ri eodem modo, quo & Gentiles salvantur; tamen præcedentia ver
 ba, id, quod volumus, evincerent, scilicet Judæos tempore N. T.
 (& proinde etiam Gentiles) non alia ratione salvari, quam Patres in
 V. T. quibus ipsis Lex fuerit jugum æque ac illis $\alpha\beta\delta\sigma\alpha\lambda\sigma$, mini
 mè verò medium consequendæ salutis æternæ. *Episcopus*, qui in
 aliis quoque partibus Socinianus proprius accedit, pariter pro impos
 sibili haber, ut quis locum det ex V. T. in quo diserta & specialis vi
 et æterna promissio habeatur; At locum nobis clarissimum ostendit
 ipse Salvator noster, illum scilicet Dan. XII. 12. in quo de resurre
 ctione ad vitam æternam disertis verbis agitur. Errat quoque Amy
 raldus, Theologus Reformatus Salmuriensis, qui fœdus cum Iisä
 lius percussum merè Legale fuisse statuit, atque Evangelico contra
 distinguit, cuius promissio sita fuerit in beatitudine perfectissima, cùm
 animi rūm corporis fruendā in perpetuum in terra Cœnæan, citra
 spem, (ex lege scilicet resultantem) vitæ bearz in Cœlo fruendæ. Cum
 qua hypothesi identitas Fœderis Gratiae in utroque Testamento stare
 nequit. Tametsi enim Fœdus Sinaiticum aliquo respectu Legale dici
 queat

queat, quoad duram Legis oeconomiam, & jugum illud servile, quod
 duris Iudaorum cervicibus isto tempore impositum fuit ad coercen-
 dam eorum perulantiam, minime tamen Fœdus illud in se & sua
 substantia consideratum fuit fœdus operum, licet doctrina hujus Fœ-
 deris in eo fuerit repetita & solenniter promulgata, sed ipsissimum
 Fœdus Gratiae, quod ex adjectis promissionibus planè Evangelicis, ex
 proœmio & marginalibus ejus solatis suis constat, quamvis oecono-
 mia cegali vestitum. Præterquam enim, quod præcepta Ieremo-
 nalia in hoc Fœdere præscripta, si ex scopo & fine rem velimus esti-
 mate, multum habuerint Evangelici, cum sacrificia Levitica fuerint
 umbra & Typus Messie aliquando venturi, in ipso etiam Decalogo,
 DEus se non semel appellavit Jehovam populi sui, huicque adeò de-
 dit jus se nominandi DEum suum, & petendi ab ipso, quicquid Fœ-
 deratus à Fœderato petere vel expectare potest. Atqui DEus homi-
 nis peccatoris Deus esse aut dici nequit, nisi supposito Fœdere Gratiae,
 cuius hæc est Formula: *Ere ip̄is in Dern, & illi mihi erunt in populum.*
 Fœdus autem Gratia cum Fœdere stricte Legali sive Operum simul con-
 sistere non potest, respectu unius ejusdemque subjecti, cum illud ho-
 minem lapsum hoc vero integrum & incorruptum; illud impossibilita-
 tem implendi Legem, hoc vires & potentiam Legem perfecte ser-
 vandi supponat, & præterea Gratia & opera è diametro sibi invi-
 cem opponantur. Legem quidem dedit DEus Israëlitis, sed sine
 Evangelico, non ut per opera Legis salutem æternam consequerentur,
 quod à dūvatore Paulus pronunciat Rom. IIX. 3. sed ut de peccato &
 reatu iræ divinae ac mortis æternæ per Legem convicti ad Christum
 Mediatorem contigerent, atque in eo solo iustitiam & vitam æter-
 nam quererent, quo sensu Christus dicitur *Télos r̄bus*, finis Legis
 Rom. X. 4. tum verò & fidem suam ac gratitudinem erga DEum ipso
 opere demonstrarent, sanctitati in Lege præscripta veraque pietati,
 quæ amore Dei & proximi absolvitur, studentes. Quare & Fœdus
 illud, quod Deus cum Israëlitis pepigit, sanguine sanctum & confir-
 matum fuit, quando Moses librum Fœderis populo prælegens sangu-
 nem sumisit, populumque eo aspersit & dixit: *Hic est sanguis Fœderis,*
 quod nobiscum DEus pepigit Ex. XXIV. 7. 8. Jam vero *ἰξαγάντος*
 est, sanguinem istum typum fuisse sanguinis Christi Mediatooris, qui
 cum Fœdere operum seu Legali nil commune habet. Malè ergò con-
 fundit Amyraldus Fœderis hujus singularem Oeconomiam, ad quam
 utique Ministerium Legis pertinet, cum ipso Fœdere. Oeconomia

enim Legalis non statim reddit ipsum Fœdus Legale. DEI quippe voluntas, ut optime dicit Heideggerus, post lapsum nunquam fuit, homines justificare ex operibus, nec talis Voluntas vel sapiens vel efficax fuisset; Et sicut Lex subintrauit Promissioni haud contariabatur, ita nec ex Lege fuit vel Justitia vel pars Justitiae, Gal. III. 21, quia aliquis necessarium foret, imputationem fidei ad justitiam convelli, quae olim publicata & in Abrahamo ratificata fuit. Quod vero Moses dicit Deut. XVII. 25. *Justitia erit nobis, quod observabimus facere omnia praeceptum*; non tam de Justificatione ex operibus, quam de Testimonio fidei justificantis intelligi debet. Tum vero & illud probari nequit, quod Amwaldus Promissionem Fœderis Sinaitici legaliter constituisse sit in beatitudine fruenda in terra Canaan, quæ mere temporalis erat; promissio enim Legis semper est una eademque, nec variat pro diversitate temporum aut personarum; continetur a. hac formula: *Fac hoc, & vives*, vita utique non temporali solùm, sed & celesti atque æterna, explicante ipso Christo, Matth. XIX. 16 sq. cuius Typus fuit terra Canaan, ut constat ex Ebr. IV. v. 1. 6. 7. N. que illa vis inest Argumentis, quibus utitur Theologus Salmuriensis pro*stabilitudine* hac suâ Assertione: Non *primo*, quod Scriptura neque in præludiis & rudimentis Fœderis Legalis, neque in ipsa Legis promulgatione vitæ beatæ in Cœlo fruenda mentionem fecerit: Dama enim Deus se Deum Israëlis appellat, eo ipso vitam æternam ei promisso intelligitur; & quando Lex factoribus suis vitam promisit, id de vita potissimum æterna accipieendum esse modò diximus. Denique ipsa quoque Terra Canaan promissa fuit populo Israëlico, ut pignus vitæ Celestis. Non *secundo*, quo analogia inter Fœdus Naturale & Legale urgeatur, in hoc consistens, quod sicut in Fœdere Naturali officium & præmium sibi correspondent, & utrumque fuit naturale: ita & in Fœdere Legali eadem proportio sit servanda, ut cum officium non si supra Naturæ modum, neq; præmium supernaturale esse possit. Falso enim supponitur, *primo* in Fœdere, quod vocat, naturali promotionem vitæ æternae factam non esse; *Secundò* officium in Fœdere Sinaitico præscriptum non esse supra naturæ vires & modum; *Tertiò* præmium non posse excedere proportionem aut modum officii. Sicque non uno viro argumentum hoc laborat. Sed nec *Terrium* concludit, desumum à Persona Mediatoris, qui fuit Moses, potens quidem introducere Israëlitas in Terram Canaan, n. in meo *tercio* in Cœlum: Neque cum hic respiciendum est ad mediatorum il-

lum,

lum, si multum largiri velimus, Typicam, qui Internuncium egit inter Deum & populum, quid ille potuerit, nec ne? Sed potius ad meritum Christi Mediatoris, quod retro actionem esse, ipse Amygdalus salvis suis hypothesibus negare non potest. Quare longe meliora discere potuisse ac debuisset ex suo Calvino, qui in *Instit.* L. II. c. X. §. 2. optimè ait: Fœdus quod Dominus olim cum Israëlitis ante Christi Adventum pugnit, & quod nunc eo manifestato percussit nobiscum, adeo substantia & repta nihil à nostro differt, ut unum prorū atque idem sit, licet administratio variet. In tribus autem maximè Capitibus hic insisteremus; Primum, ut teneamus, non carnalem opulentiam & felicitatem metam fuisse. Iudeus propositam, ad quam demum adspirarent, sed in spem Immortalitatis eos fuisse cooptatos atque hujus adoptionis secundum illis fuisse tum Oraculis, tum Legi, tum Prophetis certò factam. Deinde, Fœdus, quo Domino conciliati fuerunt, nullis eorum meritis, sed sola DEI vocantis misericordia fuisse sufficiat. Tertium, & habuissent ipsos & cognovisse Mediatorem Christum, per quem & DEO coniungerentur, & promissionum ejus compotes fierent. Quibus deinceps longiorem explicationem subiungit, lectu dignissimam, quam verbi gravissimis ita concludit: Constitutam ergo securè, quod nec ullis Diaboli machinis refelli queat: V. Test. seu Fœdus, quo cura populo Israël percussit DEUS, non rebus terrenis fuisse limitatum, sed spiritualis aeternaque vita promissionem continuisse, cuius expectationem omnium animis impressam oportuit, qui in Fœdus verè consentiebant. Hanc verò insanam ac perniciosaam opinionem procul summovamus, aut Dominum nihil aliud propoñuisse Iudeis, aut illos nihil quæsivisse præter ventris saturitatem, carnis delicias, florentes opes, externam potentiam, liberorum fecunditatem, addo & felicitatem in terra Canaan fruendam, & quicquid animalis homo in precio haberet.

Dico secundo: Idem Fœdus Gratiae diversis substitue Oeconomis, quarum altera Legalis, altera Evangelica audit. De utraque agitur in Textu nostro & alibi passim, ubiquecumque de duobus Testamentis seu fœderibus post lapsum initis sermo est. Namrum postquam Fœdus operum per lapsum iupsum est viola unque, in locum illius illico successit Fœdus Gratiae, cuius summa habetur in Prot Evangelio, Gen. III, 15. *Semen mulieris conteret caput serpenti*, ubi per fenum mulieris, non tantum principaliter & primario, prout Reformati volunt, sed unicè & exclusive intelligitur Christus, v. hujus Benedictio secundæ, aliquando nascendus ex muliere, per singularem illam

Spiritus S. Ἰωάννης Αγιου γραμμήν, de qua Luc. I. 35. Hic enim est se-
men illud Monadicum, de quo Paulus promissionem Abrahæ fa-
ctam exponit Gal. III. 16. cui soli vicitoria de Diabolo, seductore & hoste
Generis humani, parta & per contritionem Capitis serpentini hoc lo-
co designata, aliás quoq; in Scriptura tribuitur, Joh. XII. 31. XIV. 30.
Col. II. 15. Ebr. II. 13. seq. Rom. XVI. 20. 1. Joh. III. 8. Apoc. XII.
7. 8. 9. Illud verò Fœdus Gratiae statim in Paradiso cum Protoplatis
nostris sancitum, deinceps per Gradus quasi πολυμερῶς καὶ πολυτέλεως
promulgatum confidmatumque, ac diversis subinde modis dispen-
satum fuit, initio quidem paulò obscurius, ita tamen ut Lux revela-
tionis div. subinde magis magisque creverit, usque ad tempora Mes-
siae, ubi multò clarior arque illustrior ejusdem per universale Evan-
gelii præconium repetitio facta est, & vaticinia de Messia ultimum
tuum acceperunt complementum. De qua διανοούσι τὸ πληρωματος
τὸν τελεῖον Paulus loquitur, Eph. I. 10. conf. Rom. I. 1. 2. XVI. 25.
Col. I. 26. 1. Petr. I. 11. 12. Tamen verò sint, quibus ἡριχθοπία
placet in describenda diversitate administrationis Fœderis Gratiae,
ita ut illud consideretur, primò sub Promissione ante Legem, quam
merae Gratiae & Libertatis fuisse contendunt, usque ad tempora
Mosis; Deinde verò sub Lege, à Moysi scil. ad Christum, ubi promis-
sioni accesserit dura illa φρεγάς απταιληγωνία Legis, de qua Paulus Gal.
III. 23. & deniq; sub Evangelio post adventum Christi in carnem &
effusum in Fecto Pentecostali Spiritum Sanctum Act. II. Rectius
tamen illi nobis facere videntur, qui ἡριχθοπία rem omnem absolu-
vunt, & in hoc Scripturam prese sequantur, qua & ipsa diuorum tan-
tum Testamentorum, Veteris & Novi, mentionem facit; ita ut Oc-
economia V. Test. sele extendar ad omne illud tempus, quod Adven-
tum Christi in carnem antecessit, inde ab ipso hominis Lapsu & sub-
secuta Promissione Paradisiaca usque ad nativitatem ejus ex Maria
Virgine, & complectatur id omne, quod antiquandum fuit, Typique
ac umbræ rationem habuit, quod de circumcisione ante Mosen & Sa-
crificiis Patriarcharum non minùs, quam de toto cultu Levitico dici
debet. Licit de cætero negari non possit, quod tempore Mosis per
solem Legis promulgationem prior ista & paulò liberior disci-
plina novam plane faciem accepit, & per multorum rituum acces-
sionem longè onerosior facta fuerit, quam quidem anteā erat, ubi
Ecclesia in ætate quasi infantili constituta leniūs, mollius, & per blan-
ditias quasi; postea autem in provectione ætate multò durius ac seve-
rius

rins habita fuit; ob quam ipsam rationem Scriptura passim de V. T; ita loqui videtur, ac si prima ejus initia ducenda essent à Legislatione Sinaitica & ipso illo pacto cum Israelitis in Horeb initio conf. cum Textu nostro Deut. V. 2. 3. Gal. IV. 24. quia scil. per hoc solennior quamdam & illustrior Fœderis Gratia renovatio & confirmatio facta fuit, ad quam & Paulus respicit. Ebr. IX. 18. 20. ubi *¶ ἡ ἐκκατέσθιση*
non tam primam institutionem, quam rei jam ante existentis renovationem solennioremque consecrationem ac dedicationem significat. Oeconomia verò N. Test. comple&titur tempus à Nativitate Christi usque ad redditum ejus ad judicium/ & pariter suos habuit gradus ac periodos, prout id ex Historia constat. Prior illa communiter *Legalis* audit, à dura ista Legis appendice, qua per Ministerium Mosis sapientissimo DEI consilio ob ferociam populi duræ cervicis addita fuit, ita ut is sub fœdere operum magis, quam gratia constitutus videti potuerit, qui scopum DEI Legislatoris atque intentionem Evangelicam non sat satis affectui sunt, id quod de Israele secundum carnem disertè pronunciat Paulus Rom. XI. 8. 9. Posterior vero *Evangelica* appellatur à solenai ista Doctrina Evangelicae per Christum & Apostolos in toto terrarum Orbe facta prædicatione; non quasi vel Evangelium in V. Test. nullum habuisset locum, vel Lex in N. Test. ex Ecclesia plenè esse eliminanda, qui Antinomorum error fuit; sed quod dura ista Legis Pædagogia post adventum Mosis paulatim cessavit, & præconium Evangelii remoto ceremoniarum velamine, multò clarius nuntiatus & apertius, eoq; & suavius a quo jucundius in Ecclesia viger, parta per Christum libertate non solum internâ, qua fidelibus quoque in V. T. competit, sed & exterñâ à titibus istis Mosaicis, qui valde onerosi fuerunt, & quā *ἡ τού* suam Legalem multum molestiæ & vexationis attulerunt, à qua nos per Christum plene sumus liberati, ita ut nullo modo simus sub Lege, sed sub Gratia, Rom. VI. 24. habentes *Spiritum* non servirutis ad metum, sed *filiationis*, & quidem non qualisque, sed qua cum plena *emancipatione* est conjuncta, Rom. II. X. 35. G. I. IV. 1. 2.

Dico Tertio: Quoties Scriptura Fœderis antiqui & Novi mentionem facit, id non de duobus substantiâliter diversis fœderibus, sed de unius ejusdemque Fœderis Gratia, quod perpetuum atque aeternum est, duabus Oeconomis, intelligendū esse; id quod constare potest ex eo, quod in *Scđl. Exegēt.*, p. 33. diximus circa Locum Jerem. XXXI. 31. sq. sermonem in eo esse de Fœdere cum Patribus inito, ut

& antiquando, & de Fœdere novo, tanquam præstantiori, &
 in diebus Mellia super promissionibus meliōibus faniendo. Jam
 verò non ipsa Fœderis antiqua substantia, sed externa et nūm dispensa-
 tio sive Oeconomia fuit antiquanda tempore ~~dogmatis~~, ubi præ-
 sente corpore cessare debuit umbra, neque nos hodie promissiones
 habemus quoad rem ipsam præstantiores, sed easdem. planè cum Pa-
 tribus ante Christum natum viventibus, licet ratione modi dispensandi,
 mensura & gradus, majoris item extensis, sensus iunctioris &c.
 insignis prærogativa nobis competat in præsenti statu præ fidelibus
 V. Test. qui & ipsi quidem vi Fœderis Gratia in Paradiso sancti re-
 missionis peccatorum ac yta eternæ participes, & Filii DEI fuerunt
 per fidem in futurum Meliam, at filii quasi minores, inter quos
 & servos ratione externæ disciplina nullum est dīcimen Gal. IV. 1.
 Quamobrem Fœdus antiquum & novum habitu respectu ad Bona Fœ-
 deris Gratia substantialia nonnisi accidentaliter differunt, cum hæc
 eadem planè fuisse sint ante & post Christum natum; quodsi verò in se
 & ratione externæ Oeconomia considerentur, negari non potest, di-
 versitatem inter ista duo intercedere, non minorē, quā inter
 sembram & corpus intercedit, adeoque essentiale; Oeconomia enim
 V. Test. tota erat Typica & umbratilis, contra verò in N. Test. habe-
 tur ipsum corpus, & viva imago, Gratia & veritas absque involutis
 Mofacis. Quo observato non nodd Cœcij cum Anti Cocce-
 janis, sed & nostrates Theologi inter se facilè conciliari possunt.
 Quando enim alii differentiam sit uant inter Testamentum V. & N.
 essentiale aut substantiali, alii tamē *accidentale*, illi quidem
 præcisè ad Oeconomiam Fœderis Gratia diversam, & ad differen-
 tiā sanguinis pecunii, & Christi Exod. XXIV. 8. Matth. XXVI. 28.
 quam nūmo negabit esse substantialē: Hi verò ad nucleus simul
 uant que Testamenti, ipsumque Fœdus Gratia in utroque includum,
 licet diversimodē dispensatum, respiciunt; diffensus proinde non
 est, nisi in diverso considerandi & loquendi modo. Quando enim
 queritur, an Fœdus Gratia in utroque Testamento unum idemque fuerit?
 tunc omnes respondent affirmativè; quando autem queritur, an V. &
 N. Testamentum differant substantialiter nec ne? tunc illi, qui hoc af-
 firmant, per V. & N. Test. nihil aliud intelligunt, quam dispositio-
 nem Legalem & Evanglicem, quæ dux in se spectate utique toto con-
 late differunt, licet utraq[ue] pro Objecto habeat unum idemque
 Fœdus Gratia.

Ving. VI. 29.

[Dissertationes
theol. Vol. 49.]

ULB Halle
004 917 588

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

L.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
ELIORIBUS N. T.
PROMISSIONIBUS
ex Hebr. II X, 6 - 13.
Primas Sectionis Dogmatico-Elenchticæ
Theses

JUVANTE D E O,
P R A E S I D E
D O F R E D O H O F F M A N N O ,
Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. Ducalis
tipendij Theol. Superattendente & Pastore
Ecclesiae Tubingensis,
atrono, Præcept. & Promotore suorum Studiorum
Cultu pientiori & humiliori jugiter prosequendo,
Defendet

NN. WILHELMUS VENNINGER, Stutg.

SS. Theol. Stud. & Ser. Stip.
Ad D. Septembr. MDCC XVII.
H. L. Q. C.

T U B I N G A E ,
ypis JOHANNIS CUNRADI REISII.

